

*mente neque in materia contineatur ratio, quare ex tot possibilibus rebus plura existant. Ergo sequitur, quod contineatur in alio ente a Mundo diverso, hoc autem vocatur Deus.*

IV. *ex mentis nostrae unione cum corpore ita ratiocinando: Quoniam mens nostra, utpote ens vivum, cum corpore ceu ente inactivo ac organice disposito est modo sapientissimo unita, ita quidem, ut illa in hoc, hoc in illam agat, sintque certi motus corporis cum certis perceptionibus & commotionibus mentis conjuncti, sequitur, quod ista arctissima mentis ac corporis unio facta sit vel ab ipsis partibus, vel ab ente alio. Quod si unio hæc ab ipsis partibus dependeat, aut a mente, aut a corpore erit. Non a corpore, quia hoc est ens inactivum, nec a mente, quia hæc procul dubio tum quoque deberet nosse modum operandi in corpus, hujusque varia & artificiosa organa accurate intelligere. Sed, quoniam in nobis contrarium deprehendimus, videl. ignorantiam modi operandi & organorum, quibus operatio fit, necessario concludimus, unionem corporis esse ab alio ente, quod non nisi ens summe perfectum esse potest, quale vocamus Deum.*

V. *ex interna mentis nostrae conscientia ita argumentando: Si a me ipso essem, meamque existentiam posuissem, cum illud sit actus, mens mea tanquam res conscia eorum, quæ in me actu sunt, etiam debuisset nosse, quod se effecerit, siquidem haut possibile, ut quis sit causa rei, cuius*